



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **QUETTENSIS*** PRAEFECTURA APOSTOLICA QUETTENSIS CONDITUR Spectantibus cunctis vereque res aestimantibus satis quidem elucet Catholicae soliditatem communitatis maturitatemque in Pakistaniae regione, quae « Balochistan » nuncupatur, tantos nuper fecisse progressus ut iam sui iuris eadem effici possit ecclesiastica dicio. Quo efficacius igitur prospiciatur evangelizationis inceptis illum apud populum perplacet Nobis, audita prius Congregatione pro Gentium Evangelizatione, re prorsus deliberata ac sententiis exceptis omnium quorum refert, novam ibidem Praefecturam excitare Apostolicam. Summa propterea pro auctoritate Nostra apostolica partes provinciae civilis iam commemoratae « Balochistan », hucusque ad archidioecesim Karachiensem necnon dioecesim Hyderabadensem in Pakistan iure pertinentes, seiungimus indeque Praefecturam Apostolicam excitamus postmodum *Quettensem* nominandam, cum ea praecipua eius sit civitas. Eodem praeterea consilio fines earundem circumscriptionum ita ex integro definimus ut Archidioecesis Karachiensis sola loca civitatis Karachiensis sibi servet propriisque cum quinque regionibus quibus nomina: « Central », « South », « West », « East » et « Malir » et dioecesis Hyderabadensis in Pakistan totam occupet civilem provinciam cui titulus « Sindh ». Fidenter omnino novam hanc Praefecturam Apostolicam pastoralibus concredimus curis Congregationis Missionariorum Oblatorum Beatissimae Mariae Virginis, Haec vero quae decrevimus ad effectum Venerabilis Frater deducet Alexander D'Errico, Archiepiscopus titulo Carinensis et Apostolicus in Pakistania Nuntius. Constitutionem denique hanc Apostolicam Nostram tam praesens in tempus valere volumus quam in futurum, quibusvis rebus haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die nono mensis Novembris, anno Domini bismillesimo primo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 2, pp. 100-101 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana